TRACTATUS MEDICUS INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONUM SCROFULOSA,

QUEM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI PARADYS,

MED. DOCT. MEDICINAE, NEC NON COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORIS ORDINARII, SERENISS. PRINCIPIS ARAUS. ET NASSAV. FOEDERATI BELGII GUBERNATORIS HEREDITARII, ARCHIATRI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, *& Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA *Honoribus ac Privilegiis rite & legitime conſequendis*,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

THOMAS TERRY,

ANGLUS.

Ad diem XVII. *Decembris* MDCCXCIII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD FRATRES MURRAY,

MDCCXCIII.

VIRO OPTIME DE SE MERITO,

THOMAE TERRY,

PATRI INDULGENTISSIMO,

OMNI AMORE

ET OBSEQUIO

AD EXTREMUM VITAE TERMINUM

PROSEQUENDO,

HOC SPECIMEN INAUGURALE

EA VENERATIONE,

QUAE FILIO DIGNA EST,

DEDICAT

AUCTOR.

. . . . *Pulmonibus errat*
Ignis edax imis, perque omnes paſciturartus.
Ovid. *Met.*

At macie informi ſuccum populante refugit
Et vigor & vultu, qui fuit ante, color.
Squallidus obſedit faciem ſitus, oſſaquepraebent
Membra per arentem dinumeranda cutem.
Buchanan. *Eleg.*

TRACTATUS MEDICUS INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONUM SCROFULOSA.

§. 1. Creator rerum venerandus atque pura mente colendus hominem ceteris animantibus praepoſuit, & ratione fere coeleſti animum ejus imbuit. Variis autem fortunae caſibus, periculis, laboribus, & aegrimoniis expoſiti mortales naſcuntur, & morbis per totam vitam fere innumerabilibus obnoxii manent. Horum morborum nulli fortaſſis medici attentione indigni ſunt, alii vero aliis acerbiores, qui nimirum functiones vitales infeſtant, vires frangunt, corpus dolore conſumunt, maximam curam jure optimo poſtulant ſibique vindicant. Si pulmonis igitur fabricam admirabilem ac munera maximi momenti,

quibus in vita bene ſuſtentanda egregium hoc viſcus fungitur, in deliberationem vocamus, nequaquam mirum videbitur, illius morbos omnis aevi medicorum examen praecipue invitaſſe.

§. 2. Ex morbis, qui hanc corporis partem invadunt, Phthiſis Pulmonalis, de qua acturus ſum, prae ceteris disquiſitionem promeretur: ſive noxae naturam malignam tantummodo ſpectemus, ſive depopulationem, quam mortalibus infert, ſive illos denique, quos mortifera haec peſtis excruciare ſolet, juvenes nempe formoſiſſimos utriusque ſexus, & eos praecipue, qui cum formae dignitate, tum mentis quoque acumine ſociis praeſtant: ſed quid de ſtrage dicam? quid de natura inſanabili? omnes calamitate edocti eas non ignoramus; „ Pauci ſunt, quibus cognati, familiares, aut amici hac peſte abrepti non ſunt lugendi. Miſera haec tabes, ſaeva, atrox, & inſenſibilis, teneros & amabiles depaſcens, caede & luctu patriam implet“ (*a*).

MOR-

(*a*) GREGORY *de morbis coeli mutatione medendis*, p. 42.

MORBI HISTORIA.

§. 3. Phthiſis definitur, " Corporis emaciatio et debilitas, cum tuſſi, febre hectica, & plerumque expectoratione purulenta" (*b*): Incipiens vocatur, ſine expectoratione puris; confirmata, cum jam purulenta expectoratio vexat.

§. 4. Haec peſtis, qua nec ulla, in noſtris ſaltem regionibus ſaevior, frequentiorve, tempore incipiente verno & ad flexum autumni plerumque graſſatur; ſexui utrique eſt communis, ſed ab ea mulieres fortaſſe ſaepius, quam mares tentantur; a tempore pubertatis ad tricefimum usque ſextum aetatis annum, in plerisque exemplis, accedit; infantes vel ſeniores, interdum quidem, ſed raro afficit.

§. 5. In primis tuſſicula crebra & ſicca, cum levi raucedine, ſub noctem potiſſimum molestiam affert; idem, ſignum per ſingula morbi ſtadia aſſidue comes aegrotantem plus minus affligere perſe-

(*b*) CULLEN *Synopſis noſologiae methodicae.*

ſeverat. Spiritus aegre ducitur; ſub motu etiam minimo, praeſertim gradus vel loca acclivia aſcendendo magnopere turbatur: Arteriae in valetudine veluti ſecunda moventur, ſaltem non admodum accelerantur: Alvus plerumque eſt pigra. His ſignis animus irritabilior, virium torpor, corporis totius laſſitudo, ac levis thoracis oppreſſio ſuperveniunt, & corpus pedetentim macreſcit.

§. 6. Quodam ſenſu titillationis circa laryngem percepto; genarum rubore, & in ore ſapore ſalſo praegreſſis; ſanguinis rutili ſpumantis quantitas parva exſpuitur: Perſaepe quidem indicia, poſtmodum enumeranda, nulla praecedit Haemoptyſis, adeo ut miſer deceptus aeger nihil mali ſuſpectum habeat, quoniam catarrho tantum laborare ſeſe autumat, nullum igitur medicum adhibet & de aegritudine vix queritur: malum autem interea ſub pectore deliteſcit: Per plures menſes, per unum vel quidem alterum annum forma jam memorata perſtat; ex leviſſimo tamen ſuſcepto frigore, vel aliis ex cauſis adauctum, graviora paulatim fiunt ſigna, donec proh dolor!

us-

usque eo ingraveſcunt, ut ſpes nulla curationis reſtet; nulla remedia, nulla clinici conſilia periculo aegrum ſubtrahere valeant.

§. 7. Aliquando levis doloris in pectore ſenſus eſt aegro, quem tuſſis vel decubitus in latus affectum adauget; hic dolor tandem nonnihil pertinacior evadit, interdum ſub ſterno, interdum in latere potiſſimum vexat. Spiritus anguſtior ſit & moleſtior: Pulſus celeres ac molles ſunt, nonnunquam pleni ac duriusculi. Tuſſim nunc hora ſomni moleſtiſſimam expectoratio parca & mucoſa comitatur; hoc ſputum copioſius poſtea & craſſius evenit, ab albo ad fuſcum vel flavum, interdum ad viridem colorem tranſit, materia demum vere purulenta exſpuitur, modo ſanguine ſtriata, modo fruſtulis muci permixta, guſtui ſubdulcis, aliquando ſalſa, & odore ſaepe foedo.

§. 8. Morbo autem tandem confirmato, (§. 3.) manifeſta veſperi exacerbatio mox percipitur, & typum Hecticae peculiarem febris cito aſſumit. Febris vocatur Hectica, quae formam ſequentem induit: Binas acceſſiones quotidie patitur; prima

eſt, quae circa meridiem occurrit, & cujus levis quintam circiter horam veſpertinam eſt remiſſio. Hanc brevi ſequitur exacerbatio altera ad mediam usque noctem increſcens; hora tandem ſecunda matutina, vel paulo ſerius, erumpente ſudore conquieſcit ſebris & indicia iterum levantur omnia. Exacerbationes quotidie repetentes aegrotum miſerrime angunt, conſumunt. Acceſſio matutina plerumque levis eſt, & medico ſaepe vix percipienda; gravior illa, quae veſperi accedit,. ſignisque febrilibus notabilior, rubore ſcilicet in malis vivido & fere circumſcripto, pulſu frequentiore, calore moleſto in manuum volis & pedum plantis. Dolor capitis raro inducitur, & delirium vix unquam adeſt. Febris acceſſio aliquando horroribus denotatur; hi tamen non ſemper adſunt, & aeger frigoris ſenſu potius ſe affectum ſentit, dum revera corpus praeter naturam calet.

§. 9. Cum noxa huc proceſſerit gravitatis, exacerbationibus veſpertinis non longo poſt tempore ſudores adduntur largi, qui morbo ingrave-

veſcente effuſius profluunt. Sudor primum caput, collum, & pectus potiſſimum infeſtat, deinceps corpus univerſum gradatim irrorat; partes vero jam dictae, cui femina addas & crura interna, huic ſigno maxime ſunt obnoxiae.

§. 10. Quae urina excernitur, ea, a primo febris ingreſſu rubicundior eſt quam in ſtatu naturali, & ſedimentum furfuraceum lateritii coloris dimittit; ſuperficies praeterea nonnunquam quaſi oleaginoſa pelle cooperta videtur. Alvo tandem effuſe ducta, ſudores cohibentur, compreſſa, iterum profluit ſudor. Foeminae amenorrhaea laborant, hoc tamen vitium quandoque inter initia evenit: debilitas indies magis magisque increſcit: color genae decens evaneſcit, & luridus pallor, niſi quum febris adſit, vultum inficit. Vaſa ſanguinea tunicae adnatae oculi haud amplius conſpicua ſunt, & membrana colorem margaritae ſimilem adipiſcitur. Os humidum eſt; lingua plerumque rubra & munda: ſitis vix aut ne vix quidem urget: appetitus raro proſternitur, cibus contra avide interdum petitur. Et aeger, etſi

etſi corporis robur multum collabatur, ſortis inſtantis nec conſcius nec timidus videtur; animus ut plurimum non diſſertur, vel ſpatio valetudinis vel formidine mortis, ſpes autem, unicum miſerorum perfugium ſolamenque ſemper adeſt; non languent vires mentales, quinimo pleno ac naturali vigore reſtant.

§. 11. Morbo jam ad finem ocyus tendente; omnia in pejus ruunt. Spectrum fere horrificum, mortisque imaginem ipſam oſtentat miſellus; corpus tam mirum in modum extenuatur, ut cutem tantum atque oſſa exſtare crederes, & vultus ante morbi initium adeo forſan venuſtus, nunc deformis redditur, marcidus, cadaveroſus; cutis in fronte dura eſt ac intenta, tempora cava fiunt & depreſſa, malae prominentes, oculi priſtinam plenitudinem amittunt & ſub fronte quaſi recedere videntur, acuuntur nares & mentum. Digitis extenuatis curvantur ungues, & ſanguine rubro in partibus infra poſitis deficiente palleſcunt: oſſium extrema prominent ac veluti grandeſcunt: pedes oedemate afficiuntur & puſtu-

ſtulis corpus ſcatet aquoſis: crines defluunt: fauces inflammantur & lingua aphthis obtegitur: febris vix ullam remiſſionem patitur: diarrhoeam dolores abdominis & tenesmus perpetuus comitantur: viſus interdum hebeſcit: ſpiratio difficillima eſt; raucitas valde pertinax; tuſſis conſtans; anima tetra; arteriarum ictus debiles, celeres, tremuli.

§. 12. Brevi ante mortem ſpatio ſudores plerumque multo ſubſidunt; exacerbationes minus laceſſunt; ſputum foedum atque acre parca tantum quantitate exſpuitur, vel nonnunquam penitus ſiſtitur. Delirium tandem ſupervenit, cunctae naturae vires deficiunt, vita definit.

§. 13. Talis eſt decurſus avarae hujusce peſtis, quae caedem tam triſtem caede indies accumulat. Non ordine tamen jam recenſito ſemper eveniunt ſigna, verumenimvero ſingulis in exemplis quodammodo diſcrepant; nec in omnibus ſemper omnia obſervantur, adſunt vero alia in aliis. Morbo incipiente, pro cauſae excitantis natura, nunquam non variant indicia, ſed quum

ſuppeditaverit fontem tuberculum eo modo, quo ſupra ſcriptum fuit, incipit morbus. Nullum delirium interdum ad morbi finem vexat; ſed animi vigor usque ad extremum adeo durat, ut adſtantibus amicis comiter valedicant moribundi.

§. 14. Phthiſis ad exitum nonnunquam curſu citato properat, paucis tantum hebdomadibus, ut ſcribunt auctores nonnulli, terminata; ſed plerumque aeſtate ſeſe remittit, dum tempore brumali & appropinquante vere integraveſcit, & ſic per annorum duorum triumve ſpatium extenditur; ſed per multos haud raro protrahitur, ſi aegrotus morbo, praeſertim in initio, occurrerit. Obiter praeterea obſervandum eſt, ſigna longe interdum procedere, et, cum pernicies inſtat, tunc remiſſionem pati; rarius autem haec diu perſeverat; ſed veluti vires per ceſſationem nactus gravius iteram revertitur morbus, & ſerius ocyus e medio decumbentem tollit.

DE CAUSIS REMOTIS.

§. 15. Morbi hiſtoria jam adumbrata, operam forte non perdemus, ſi illa contemplari ſigna, quae hominem ad Phthiſin proclivem denotant, nunc pergamus, & poſtea de cauſis eam excitantibus aliquid disputemus; his omnibus enim, quatenus nobis facultas fuerit, prius examinatis, diagnoſis, morbi eventus, et modus, quo ſigna ſunt levanda, clarius faciliusque deduci poterunt.

§. 16. Inter cauſas praedisponentes auctores annumerare ſolent corporis formationem peculiarem, cervicem longam, humeros prominentes alarum inſtar, formam totam gracilem, deformitatem a dorſi ſpina inflexa vel a mala coſtarum curvatura, atque thoracem ex aliis cauſis juſto minus capaciorem redditum. Inter cauſas Phthiſi faventes aetas etiam & anni tempeſtas (§. 4.) ſunt recenſendae.

§. 17. Omnia circa pectus arcte cincta morbidum pulmonis ſtatum efficere obſervantur: hinc mos, quo mulierculae inepte utuntur, infantum

nempe pectora faſciis involvendi dum oſſa mollia ſunt, eamque ob cauſam facile in vitium flexibilia, plane eſt contemnendus; conſuetudo etiam pectus ſtringendi, lorica quaſi, inter puellas adultiores, quam maxime eſt vituperanda. Sexum muliebrem ſaepius quam virilem Phthiſis afficere dicitur, quod forſan ex habitu molliore, quo foeminae gaudent, potiſſimum oritur; more tamen etiam nuper dicto, diaeta parca, & modis aliis perniciofis, quibus illae ſeſe aſſuefaciunt, in id male incumbentes, ut graciles appareant & obeſitatem evitent, quodammodo interdum efficitur. Utinam equidem noſtrates, quarum forma eximia nullo certe artis auxilio eget, multa praeviderent talium conſuetudinum pericula.

§. 18. At vero res eſt nimis confirmata, explicatu forſan perdifficilis, quod ii, qui ex dotibus & corporis & animi vita longiore digni eſſe videntur, foeminae praecipue pulcherrimae, saeva hac tabe conſumuntur & mortem immaturam oppetunt. Verſiculos igitur Poëtae pulchritudinem puellarum eleganter deplorantis huc transferre liceat:

„ *Hei*

„ *Hei mihi! quod floret languetque ſuperbia Maii,*
„ *Floret idem formae gloria, languet idem;*
„ *Utraque mane vigens, placidumque & dulce rubeſcit,*
„ *Utraque marceſcit veſpere, pallet, abit.*“ (*c*)

§. 19. Morbum quoque deſignat habitus debilis; vultus color eximius; cutis candida, delicata, tenuis, textura molli adeoque pellucida, ut venae colore purpureo infra facile appareant; vox etiam exilis & clangoſa, cum propenſitate ad raucitatem ex cauſis levibus (*d*). Neque hoc loco id praetereundum, quod notat auctor, qui hujus morbi graviſſimi materiam erudite tractavit. Obſervavit ille Phthiſicos dentes plerumque bonos habere, qui, morbo aggraveſcente, candorem lacteum & quandam pelluciditatem acquirunt (*e*).

§. 20. Inter omnia vero, quae hanc diſpoſitionem formant, longe frequentiſſima eminet labes ſcrofuloſa: Hoc fortaſſe rationem oſtendit, cur mor-

(*c*) *Poëmata* V. BOURNE.
(*d*) MORTON *Phthiſiol. Lib.* 2. *Cap.* 2.
(*e*) *Practical Obſervations on the Treatment of Conſumptions by Dr.* SIMMONS *p.* 13.

morbus hereditarius ſit, cur tam univerſalis, cur etiam plerumque immedicabilis. Mihi denique veriſimile videtur, hanc ſaepius cauſam eſſe, quam medici nonnulli arbitrantur; de hac re autem poſtea locus erit plura dicendi, quum de cauſis occaſionalibus, ut aiunt, erit agendum.

§. 21. Rerum autem ordo me jam eo deduxit, ut de cauſis morbum excitantibus nunc agam. Harum quinque enumerantur, Tuberculum ſcilicet, Haemoptyſis, Pneumonia, Catarrhus, & Aſthma; quam juſta ſit unaquaeque, videamus oportet; ſed de tuberculis primo loquemur, quoniam prorſus in ea ſum ſententia, hoc multo frequentiſſimum morbi primordium eſſe, atque alias cauſas ab eo ſaepiſſime pendere.

§. 22. A variis oriri acrimoniis, exanthematica nempe, ſyphilitica, vel ſcorbutica tubercula dicuntur, dubitari tamen poteſt, an Phthiſin haec unquam induxerint, praeterquam in iis hominibus, ubi pulmones jam prius obſtructi fuerint & labes adfuerit innata. In iis etiam operariis reperiuntur, ſi ſcriptis medicis fides habenda ſit, qui ex oſſi-

officiorum natura pulveres varios cum aëre in pulmonem recipiunt. Medici vero jam longa experientia ſatis admodum probaverunt Scrofulam hiſce tuberculis quodammodo dare originem: atque procul dubio, hos inter tumores in pulmone inventos, ac eos, qui aliis in corporis partibus contingunt, multum ſimilitudinis intercedit; ſpecies amborum externa eadem eſt, ſi cultro incidantur, haud ulla apparet diſſimilitudo; amborum ſigna iisdem anni tempeſtatibus allevantur, iisdem augentur, ambo denique tarde ſimiliter & male ſuppurant. Quinetiam ſi his addamus, Phthiſin impetum plerumque facere in eos, qui e parentibus ſtrumoſis nati ſunt, & morbos alios ſcrofuloſos eam ſaepe comitari (*f*), locus dubitandi haud reſtat, quin morbum tanquam vere ſcrofuloſum conſiderare debeamus.

§. 23. In corporibus eorum, quos Phthiſis extinxit, tubercula fere ſemper inventa fuerunt; a grano minimo usque ad fabae molem variant, in cu-

(*f*) CULLEN's *Firſt Lines of the Practice of Phyſic.*

cumulos plerumque congregantur, & ſummam fere, rarius partem viſceris inferiorem occupant: Portio iis adjuncta pulmonis plus minus induratur, ac ſpiritum per tracheam inflatum non facile admittit (*g*). Species varias anatomici deſcripſerunt; alii detexerunt tubercula durae, oſſeae concretionis, alii materiae caſeo ſimilis, alii calculoſae materiae; inciſione eorum facta, quae plerumque occurrunt, cartilaginoſa, albida & molli textura eſſe apparent; vaſa bronchialia ad radices majorum injectione indagari poſſunt & cum tuberculis ipſis communicationem habere inveniuntur. Hi tumores per plures annos nonnunquam crudi & immutati manent, paulatim creſcunt, inflammantur demum, & in vomicas mutantur, quae materiem purulentam vix unquam aut ne vix quidem benignam effundunt. In nonnullis quidem corporibus mortuorum, qui vivi nulla Phthiſeos ſigna unquam perceperant, tubercula offenderunt medici; in caſibus tamen hujuſmodi pauca ſemper fuerunt eaque minima.

§. 24.

(*g*) Reid's *Eſſay on the Phthiſis Pulmonalis.*

§. 24. De natura tuberculorum inter ſe plurimum diſſident ſcriptores medici; ea lymphae viſciditati alii, alii ſeri excretioni attribuerunt; inter pleroſque tamen convenit, glandulas eſſe induratas, & prima fronte profecto ſubſtantiae glanduloſae perſimilia ſunt, haec quoque opinio in hujus morbi noſtram doctrinam optime quadrat; ſubdubito tamen, num eam admittere debeam: docuit quidem vir eruditus glandulas lymphaticas in pulmonis ſubſtantia aliquando videre ſibi contigiſſe, alii vero, iique anatomiae etiam peritiſſimi, tales extare omnino negarunt, & quibusdam in exemplis, ubi glandulae lymphaticae per totum corpus ex affectione ſtrumoſa mirum in modum intumuerant, nullae in pulmonibus detectae fuerunt. Argumentum igitur, donec certiores ſimus de vera tuberculorum ſtructura, in medio relinquamus oportet,

§. 25. Phthiſis non neceſſario Haemoptyſin (§. 21.) ſequitur, & quotidianae ſatis admodum oſtendunt obſervationes, caſum adverſum huic vix unquam ſuccedere, ruptura vaſi forſitan pri-

ma intentione, (ut loqui amant vulnerarii,) glutinante; ac tamenetſi aliquid purulenti nonnunquam exſpuat aeger, pus autem talis videatur generis, quale in vulnere externo partibus conſolidandis aptum eſt. Exempla praeterea fuerunt, nec pauca, ubi vulnera ſatis magna morbum non effecerunt. Verum enim vero mihi videtur, quod Haemoptyſis pro parte atque effectu potius quam morbi cauſa ſaepe ſit habenda; veri enim ſimillimum eſt, tubercula, vaſa ſanguinem vehentia, ita comprimere poſſe, ut vel ruptura eorum vel tranſudatio ſanguinis obtingat.

§. 26. Haemoptyſin, Phthiſi originem dare, auctores teſtantur fere omnes; rem ipſam igitur negare & indecorum & iniquum foret. Hoc tamen pro certo affirmari poteſt; quod in plerisque ſaltem caſibus vitium ſtrumoſum prius adfuerat. Hanc opinionem probat experientia medicorum, confirmatur etiam eo, quod eadem indicia, quae proclivitatem ad Haemoptyſin, proclivitatem etiam ad Phthiſin denotant.

§. 27. Inter alias cauſas ulcus inflammationem

pneu-

pneumonicam conſequens adſcribi ſolet (§. 21.). Hoc autem, ni fallor, in paucis tantum exemplis morbum, de quo nunc agimus inducit: ſaepiſſime enim accidit pus in bronchiis effuſum acrimoniae expers ex vaſis facile emitti, & ulcus brevi ſanari. Longe vero a me abſit, ut inficias iturus ſim Phthiſin pulmonalem ex Pneumonia nunquam originem ducere; quippe materia purulenta initio forſan mitis & optime confecta, non liberam evacuationem ſubiens acris fiat & maligna, & ſic tabem efficiat pernicioſam.

§. 28. Sequitur quarta Phthiſeos cauſa, (§. 21.) ſed de hac non ſuperſunt multa dicenda. Catarrhus plerumque mitis eſt morbus ex cauſis levibus ortus & medicinae facile cedens; conjicio igitur tuſſim, quae tabem incipientem comitatur, pro catarrho falſo cenſeri. Neutiquam tamen dicere velim, hanc nunquam cauſam eſſe; plane autem mihi perſuadeo, labem ſcrofuloſam in multis exemplis, ubi catarrhus pro cauſa excitante aeſtimatur, jam dudum adfuiſſe: quae cum ita ſint, ſatis perſpicuum erit, agitationem, quam pulmo

inter tuſſiendum ſubiit, viſcus tam infirmare quam tuberculis originem dare, vel haec latentia inflammare poſſe.

§. 29. Quid de aliis cauſis dictum ſit quicunque rite conſideraverit, is facile perſpiciet, Aſthma (§. 21.) raro tabem purulentam ex ſe ipſo inducere; & exempla quidem innumerabilia indies videmus, ubi hic morbus aegrotum per plures annos vexavit & quidem ſine ullis Phthiſeos ſignis.

§. 30. Phthiſin a contagio oriri ſcriptores multi affirmant; dum alii, iique in arte medica exercitatiſſimi ſtrenue id negant. Auctorum de hoc litigantium ſententias perſcrutari aut componere minime eſt in animo, neque eas quidem verbis plurimis refellere, neque confirmare, conabor. Hoc tantum dicam; medicis noſtris, perpauca exempla occurrere, in quibus Phthiſin contagioni adſcribunt. Res, Hercle, admiratione digna in malo tam frequente, ſi vere contagioſus eſt morbus.

DE CAUSA PROXIMA.

§. 31. Pro cauſa proxima Phthiſeos, ex mea ſaltem ſententia ad Scrofulam decurrendum, in quo morbo nihil adhuc obſcurius. Et profecto: „ Ingenue confitendum eſt, cauſas, quae morbos immediate excitant, plerumque difficiles, aliquando inſcrutabiles eſſe, ob abditam & ſubtiliſſimam ſuam naturam, ipſarum mutabilitatem, & concatenationem effectuum, qui a *c*auſis remotis pendent: illas ideoque non ſemper ſcientia comprehendunt, ſed conjectura ſaepe perſequuntur medici. In tam incerta & obſcura quaeſtione, vereeundia & diffidentia potius quam opinionis tenacitas, mortalibus caecis conveniunt." (*h*) Rem itaque ſuapte natura adeo abſtruſam, totque difficultatibus implicitam, inveſtigare haud aggrediar: ſatius enim conſultiusque duco, me talibus auſibus atque inceptis omnino imparem fateri, in quibus viri, vel peritiſſimi, voti ſui com-

(*h*) HOME *Principia Medicinae*, *pag.* 29.

compotes evadere haud potuerunt, quam obſervationes crudas, & conjecturas parum certas proferendo, meam prodere temeritatem atque tenuitatem; hoc praeterea majori cum confidentia facio, quia mihi maxime arridet ea de cauſa proxima opinio; quam auctor doctrina atque ingenio praeſtans, praeceptor meus nunquam ſatis laudandus atque amore proſequendus, in medium protulit (*i*).

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

§. 32. Tuſſis (§. 5.) a tuberculis teneram prementibus membranam bronchiorum, vel a materia mucoſa ſeu purulenta eandem infarciente & irritante oriri videtur. Oppreſſio & reſpiratio difficilis (§. 5. 7.) partim a debilitate pendent; partim a curſu ſanguinis per pulmonem impedito, partim denique a tuberculis viſceris actionem liberam impedientibus.

§. 33.

(*i*) Vide Conſpect. Med. Theoret. Auctore JACOBO GREGORY; *Medicinae Practicae in Academia Edinenſi Profeſſore.*

§. 33. De febris hecticae cauſis variae extant ſententiae: ea opinio autem rationi maxime congrua videtur, quae puris vitiati abſorptioni eam adſcribit: neminem praeterea latet, levem quaſi febriculam in valetudine etiam ſecunda bis quotidie, praecipue autem ſub veſperem, ſemper accidere, his rebus igitur ita comparatis cum irritabilitate permagna, quae Hectica laborantes ſemper ſtipat, cuncta febris phaenomena, quodammodo ſaltem, explicare poſſumus. Non poſſum vero, quin fatear theoreticas obſervationes optimas, quae adhuc prolatae fuerunt, valde eſſe incertas.

§. 34. De alvi profluvio (§. 10. 11.) nunc eſt inquirendum. Morbo incipiente materies noxia ad corporis ſuperficiem impellitur, ubi per vaſa relaxata excretoria facile exit; debilitate autem permagna poſtea ſuperveniente, vires vitales ſanguini ad corporis ſuperficiem dirigendo fiunt impares; exacerbationes rarius eveniunt, expectoratio magis magisque difficilis evadit, & ſub morbi finem prorſus fere ſiſtitur, curſus humorum igitur inteſtina verſus propellitur.

§. 35.

§. 35. Reſponderi poteſt, me, hiſce verbis nihil aliud dixiſſe, quam humores nunc ad ſuperficiem corporis, nunc ad inteſtina dirigi; ſed quomodo haec fiant omnino ſilere; nec profecto haec exponere valeo. Lex naturae videtur (forſan vero haud facilis explicatu) quaeque in optima ſanitate ſaepiſſime obſervari poteſt, quod, una excretione minuta, alia augeatur: placet verba ſequentia citare: „ Mirum inter varias ſecretiones obſervatur aequilibrium, ita ut pari fere ratione ac aliae augentur, aliae minuantur, quo cautum eſt, ne corpus adeo facile & ſubito, ut aliter fieret, exhauriatur. Hoc inprimis notabile eſt inter halitum cutis & ſudorem, & urinam, & excretionem alvi, quamvis in aliis ſecretionibus idem ſaepe obſervatur" (*k*).

§. 36. Si animum igitur ad mirum iſtum conſenſum cutem inter & canalem alimentarium attendamus; ſi ſummam decumbentis debilitatem notemus; denique, ſi concedatur ſanguinem ex pu-

(*k*) GREGORY *Conſpect. Med. Theor.* §. 719.

puris abſorptione nonnihil corrumpi, ratio diarrhoeae ſatis elucet.

§. 37. Remiſſio ſignorum (§. 14.) ſatis in aperto eſſe videtur. Tumores in pulmonibus ſuppurantes pus effundunt & mala exinde provenientia percipiuntur, ulcere autem ſanaſcente ſigna leviora fiunt & hoc ſtatu perſtant, donec alia tubercula ſuppurare incipiunt.

DIAGNOSIS.

§. 38. Phthiſis incipiens a Catarrho difficillime aliquando internoſcitur; ſigna proinde, quae hos morbos indicant, illico conſideraturus ſum. In Phthiſi pulmonali tuſſis gradatim oritur, ſaepe ſine cauſa externa manifeſta, eſt levis ac frequens, atque nihil vel parum omnino emollitur, & cum ſono formatur peculiari, verbis vix deſcribendo, medicis tamen ſatis bene noto. E contra Catarrhus aevi plerumque brevis eſt, cum Pyrexia inchoat, & reſpiratio difficilis per nares praeſertim aegrotantem afficit; dolor obtuſus ca-

pitis, ſenſuum hebetudo etiam ſimul vexant, tuſſis praeterea gravior eſt, & expectoratione mucoſa ſtipatur.

§. 39. Poſtea vero quum diu manſerit Catarrhus, craſſum, flavum & guſtui ingratum copioſe ejicitur ſputum, tam ſimile cui Phthiſcos provectioris eſt comes, quod ſub hoc morbi ſtadio medicinam facientes dubitarunt, utrum pus, an mucus ejiceretur; ad rem tam maximi momenti enucleandam multa experimenta inſtituta fuerunt, notas igitur & experimenta ea, quae minime fallacia ſunt, hic calamo feſtinante percurram.

§. 40. Pus ſemper opacum eſt; odorem naribus ingratum emittit; agitatione cum aqua in fruſtula facile laceratur; ſi in balneo ſervetur calido, brevi acetoſam fermentationem ſubit, quod & odore ejus & experimentis probatur (*l*); denique, ſi puri ſoluto in acido vitriolico aquam addamus, materia in imum defertur, vel ſi vas agitetur; per liquorem aequabiliter diffunditur

(*l*) Vide BRUGMANS *de Puogenia. p.* 75.

tur (*m*). Mucus naturaliter pellucidus eſt, nonnunquam profecto opacus fit, colorem albidum vel flavum ſeu viridem etiam acquirit; color autem viridis nunquam tam evidenter in muco quam in pure apparet; plerumque odore caret, tenax, & viſcidus eſt, atque digitis in fila longa diſtrahi poteſt; in aquam immerſus maſſulis conjunctus manet; in balneo calido diutiſſime blandam ſervat indolem, & nunquam in acidam fermentationem tranſit (*n*). Denique ſi muci in acido vitriolico ſolutioni aqua addatur, nihil ad imum vaſis deponitur, ſed in ſuperficie reſtat materies (*o*).

§. 41. Aliquis forſan vitio mihi vertet, ſi de diagnoſi hunc morbum inter & Pleurodynen nihil dicam; mihi tamen videtur perfacile dignoſci poſſe. Dolor, qui formationem tuberculorum comitatur, eo diſtinguitur, quod decubitu in

(*m*) DARWIN'S *Experiments eſtabliſhing a Criterion between mucaginous and purulent Matter.*

(*n*) BRUGMANS *loco citato.*

(*o*) DARWIN'S *Experiments.*

in latus affectum ſit acutior, ſed quando musculi tantum laborant, decubitus in latus nequaquam moleſtus eſt, levamen contra percipit aeger, actione musculorum minuta. In Pleurodyne etiam dolor manu externe premente augetur.

§. 42. Reſtat & adhuc alius morbus, quicum, ut videtur, Phthiſis pulmonalis interdum confundi periclitatur, febris ſcilicet intermittens (*p*). Diagnoſin, quam infert vir in re medica quam maxime verſatus, citare non dubitabo. " In the true Intermittent, the three ſtages of cold, and heat, and ſweat, are far more diſtinctly marked; the whole fit is much longer; the period which it obſerves is more conſtant and regular, and the intermiſſions are more perfect than in the Hectic fever; for in this laſt, even in the cleareſt remiſſion, and during a ſtate of the greateſt quiet between the fits, there is uſually a feverish quickneſs perceptible in the Pulſe, which ſeldom fails to exceed the utmoſt limits of a healthy one,

(*p*) Vide *Medical Communications vol.* I. *pag.* 260.

one, by at leaſt ten beats in a minute" (*q*). Phthiſin tamen ab aliis morbis optime ſecernamus obſervatis etiam cauſis remotis & praedisponentibus & excitantibus, his omnibus enim inter ſe collatis, ut decipiamur vix fieri poteſt.

PROGNÓSIS.

§. 43. Praeſagium de vita ejus, qui tabe laborat, formari poteſt e cauſis morbum excitantibus; ſed quoniam de his ſupra ſcripſimus, non neceſſarium videtur, ut eas iterum percurramus: hoc loco igitur tantum obſervare reſtat, Phthiſin, quae a tuberculis oritur, multum periculi ſemper adferre: Etſi Pneumoniam aliquando levis Hectica ſequatur, nullo autem alio vitio interno exiſtente, febris ſaepiſſime non admodum gravis eſt & cito diſſipatur morbus. Praeterea notandum eſt tabem mala pectoris confirmatione ſtipatam ut plurimum aegroto maximum intentare diſcrimen.

§. 44.

(*q*) Dr. HEBERDEN, *Medical Transactions vol.* 2.

§. 44. Quid ſit eventurum a ſignis exiſtentibus & praeſertim a febris gravitate optime judicamus. Si febris Hectica igitur multum ingraveſcat, ſi ſudores vel ſigna debilitatis ſint permagna, vel ſi adſit Diarrhoea profuſa & pedum oedema, ſummum periculum aegro miſerando imminet; ſin notae ſemet omnino aliter habeant, ſi vires haud multum frangantur, reſpiratio libera ſit ac facilis, & febris praecipue levis; ſi tuſſis ſeu pectoris dolor minime urgeat, ſi vox clara ſit & a ſana haud multum mutata, ſpes nonnulla ſalutis, ſi propria adhibentur remedia, aegroto effulget.

§. 45. Foeminarum graviditas Phthiſeos progreſſum ſaepe ſiſtit, nec mirum, ſi mutationem ſpectemus, quae iis foetum utero gerentibus evenit. Poſt conceptum ſanguinis curſus ad uterum pro foetus nutritione & incremento praecipue adigitur, diſtributio abnormis ad pulmones ſic avertitur, & mala, quotquot exinde eveniunt, magnopere levantur: Breves autem atque fallaces hae induciae: poſt partum enim fluxus ad uterum

ces-

ceſſat, ſigna iterum gravia revertuntur & cito plerumque miſera perit.

§. 46. Hic nefas foret ſilentio praeterire rem admiratu prorſus utique dignam. Mania ſuperveniente, Phthiſis confirmata abiiſſe dicitur; mania autem recedente, Phthiſis miſerandum iterum vexaſſe. Natura a viſu mortalium has res longius removiſſe videtur, quam ut humana imbecillitas perſpicere poſſit, tantum enim abeſt, ut leges intelligamus, quibus cerebrum mira ſua efficit, ut conjectura, ne quidem veritati conſentanea, adhuc prolata fuerit; nec probabile ſit mentem ſagaciſſimam talia arcana unquam capere poſſe.

§. 47. Annales praeterea medicinae caſus nonnullos exhibuere, ubi e ſtadio periculoſiſſimo convaluit laborans; exempla ſunt ſupra omnem fidem. Saepius vero accidit, ut morbus lethalem finem habeat; & hic non poſſum non dolere aegrotum morbo venienti minus ſaepe obviam ire; ſicut enim primas incendii ſcintillas facile extinguimus, his autem neglectis deflagratio ſaevit, diras atque devaſtationes efficit, primo

ſi-

ſimiliter morbi adgreſſioni optime occurritur; nimis vero frequenter e memoria hominum excidit: „ ſerum eſſe cavendi tempus in mediis malis.“

DE REGIMINE, AC REMEDIIS QUIBUSDAM IN PHTHISI CURANDA ADHIBITIS.

§. 48. Quoniam medicamenta plurima apud auctores, tum veteres, tum recentiores, commendantur, de hiſce ſingulis fuſe tractare, nec animus eſt, nec quidem in disputationibus hujusmodi, in quibus modus adhibendus eſt, fieri poteſt; remedia etiam ſunt permulta, quae vulgo plurimi ducuntur, reapſe autem anilia, abſurda, ac prorſus futilia: quae quum ita ſint, ſat mihi erit ea ſolum ſpecialiter memorare, quae medici hodierni praecipue adhibent, quaeque obſervatio eorum prodeſſe comprobaverit.

§. 49. Indicationes, quae alicui morbum diligenter contemplanti ſeſe offerunt, ſunt tuber-

cu-

culorum incremento obviam ire, & corporis diatheſin peculiarem corrigere; vires aegroti ſuſtentare labentes, & ſigna quaedam urgentia leviora reddere. — Huc remedia enumeranda ſpectant; prius tamen quam ad haec deveniam, a propoſito noſtro haud alienum erit de regimine quaedam generatim monere, ſcribit enim HOFFMANNUS, & ſententiae ejus prorſus aſſentior: „ Nihil eſt, quod corpus a vera Phthiſi immune reddere, vel incipienti magis poſſit occurrere, quam recta vivendi ratio.“ (*r*)

§. 50. Sub titulo regiminis includi velim coelum, victum, corporis exercitationem, animi atque adminiſtrationem; de quibus ſigillatim agetur.

§. 51. Inſula Britannia propter coeli multas ſubitasque variationes, & hyemem duram atque longam, phthiſicis parum favet. Omnibus medicinam exercentibus innotuit tumores ſcrofuloſos aeſtate valde allevari, hyeme autem & vere in-

(*r*) HOFFM. *Tom.* 3. *pag.* 293.

ineunte renovari; ex convenientia igitur expectare ducimur, tubercula in pulmonibus legibus iisdem inſervire, & ſigna quidem & res ipſa opinionem confirmant: haud abſimile dein videtur aeſtatem perpetuam vel morbum omnino ſuperare poſſe vel reditum ejus ſaltem per longum tempus praecavere. Coelum igitur aequale, ſerenum, atque ſiccum aeger petat neceſſe eſt, & ut verbis Poëtae loquar:

„ *Ver ubi longum, tepidasque praebet*
„ *Jupiter brumas.*" (*s*)

Hoc conſilio Phthiſi laborantes inſulam noſtram, hyeme appropinquante, relinquere ſolent, & ad *Galliam Meridionalem*, ad *Hispaniae* vel quasdam *Italiae* partes, ſeu ad Inſulam *Madeiram* vel *Bermudas* migrare; hic vim hyemalem vitant, auram captant amicam, & haud raro morbum diſcutiunt.

§. 52. Tabidus, quem penes arbitrium eſt, unum

(*s*) Horat. *Carm. lib.* 2. *Od.* 6.

unum vel alterum horum locorum viſendi, id certe non negligere debet. Si autem res anguſtae domi, patriae amor, vel aegrotantis ipſius faſtidium longam peregrinationem inſtituendi prohibeant; quae loca igitur in inſula noſtra optime conveniant, notemus oportet. Urbes ſemper vitandae ſunt, ubi aer nocivis effluviis nunquam non corrumpitur, rus utique petendum, ubi aer exhalationum hujusmodi immunis invenitur, purus, atque bonus. Is ſitus apte eligetur, ubi ſolum ſiccum eſt & arenoſum, praeſertim ſi vento ex ſeptentrione, aut hunc inter & orientem perflanti, haud objiciatur, ſylvis tamen denſis non cinctus, ſatis vero perflabilis, amoenus, & apricus (*t*).

§. 53. Diaetam (§. 50.) ex lacte & oleribus paratam plerumque praeſcripſerunt medici & cibos animales omnino vetarunt. Lactis virtutes ſalubres inter omnes fere auctores, uno quaſi

(*t*) De hac re optime diſſeruit medicus eruditus FOTHERGILL. Vide *Medical Obſervations vol.* 3.

quaſi conſenſu celebrantur, haud ſine diffidentia igitur confiteor, quod longe aliter de hocce remedio puto; id ſaltem pro certo in animo habeo, quod, dum ſpe allevamenti a lacte afflictus ſe decipit, tempus interea, quo debeant exhiberi alia multo efficaciora, praeteriit irreparabile.

§. 54. Experimentis conſtat, quod ex partibus lactis octo ſeptem ſunt aquoſae; diaeta adeo parca corpus vix ſatis nutrire poteſt in morbo maxima debilitate ſtipato. Nova praeterea ſigna, eaque mala, haud raro concitat; quantitas enim minima nonnullis nocet, & apud plurimos uſus diuturnus (quod neceſſarium videtur, ſi beneficium expectamus,) vel ſigna, quae jam adſunt, adauget, vel nova, ut ſupra dixi, frequentiſſime inducit; talia ſunt ſitis, ſudor, praeſertim ſi mane bibatur, dolor capitis & appetitus proſtratus; male etiam ſaepe concoquitur & maſſis coactis caſeo ſimilibus ejicitur: harum rerum quidem medici praeſcientes nonnihil aquae calcis vel magneſiae addere praemonent, " Ces pre-

précautions ſi recommandées (dixit medicus quidam Gallicus) ſeroient ſeules ſoupçonner les mauvais effets, que le lait eſt capable de produire dans la pulmonie, quand on n'auroit pas d'autres raiſons pour s'en convaincre. On ne craint rien de la qualité d'un bon aliment, & on eſt dans une entiere ſecurité ſur les effets d'un bon remede" (*v*).

§. 55. Requiretur fortaſſe, ſi haec ita ſint, cur auctores caſus prodiderint, ubi aegrotantes hoc remedio ſanati fuerunt? Et quidem minime negare poſſum, mira decantata eſſe exempla aegrotorum, qui, poſtquam multa alia remedia fruſtra tentata fuerant, uſu lactis ſolius bonam valetudinem recuperaverant. Idem dici poteſt de plurimis aliis remediis, quae aliis in morbis auctores diverſi laudibus maximis extulerunt, quorum vero uſus jam dudum merito obſolevit; exemplis autem hujusmodi, & ratione omni poſthabitis, CELSO ſemper concedendum erit, " ubi aliquid non reſpon-

(*v*) *Traité de la Phthiſie pulmonaire*, *par* M. RAULIN *p.* 238.

ſpondet non tanti putare auctorem, quanti aegrum" (*x*), & profecto certo certius eſt lac hiſce temporibus raro efficax inveniri (*y*).

§. 56. Lac autem ebutyratum nequaquam damnamus (*z*), utpote aceſcens & refrigerans in quocunque morbi gradu, modo ſi diarrhoea abſit, potandum detur; plerisque gratum eſt, corpus refrigerat, & putredini obſtat.

§. 57. Guſtus aegri conſulendus eſt & alimenta, quae facile diducuntur, eligenda. Cibum idoneum praebent piſces, quorum carnes albae ſunt, ſi modo ſimpliciter cocti fuerint; teſtacei etiam & hujusmodi oſtreae, aſtaci, cancri, & alia conchylia ſumma cum utilitate adhibentur. Carne tenera & levi uti licet, & victus etiam lau-

(*x*) Cels *lib.* 3. *Cap.* 5.

(*y*) „ While we willingly allow the uſe of milk all the merit to which it is juſtly entitled, we cannot in mere deference to cuſtom and authority, ſuppreſs one thing; to wit, that it fails in almoſt every inſtance." Gilchrist *on the Uſe of Sea voyages p.* 123.

(*z*) „ In a real Phthiſis I have never obſerved conſiderable benefit from any milk, butter-milk excepted." Gilchrist *pag.* 125.

lautior ſummo cum fructu interdum uſurpatur; talis certe non denegandus, cum valde urgeat debilitas & multum periculi immineat. Cereviſia Londinenſi, quae lingua vernacula *Porter* nominatur, aetate provecta & bene lupulata feliciter utuntur phthiſici: nec vinum penitus prohibendum; morbo enim ingraveſcente, cum vires multum defecerint, remedium fit praeſentiſſimum.

§. 58. Exercitatio (§. 50.) in hoc morbo optimam praebet prophylaxin, malo etiam progrediente, multum auxilii attulit: verum enimvero non aeque prodeſt omne exercitationis genus, geſtatio autem, ut uſu & experientia docemur, eſt aptiſſima. SYDENHAM laudes equitationi maximas tribuit, non ſolum in leviore morbi gradu, ſed & in tabe, ut ſcribit, " tantum non deplorata. " Putes fortaſſe non eſſe meum contra tam magni tamque clari viri opinionem aliquid dicere, ſin autem obſervationibus medicorum hujus aetatis credere fas eſt, equitatio tantas laudes non bene meruit. Caute igitur, nam non eſt ex toto rejiciendum, hocce remedium ad-

adminiſtrari debet: inter initia, cum tuſſis ſola adſit, plurimum lucri adfert, ſed minime convenit a nimio corporis motu, ubi ad Haemoptyſin proclivitas inſit, in gradu morbi confirmato horis matutinis tantum illud adhibendum eſt, dum Hectica remittit & calor modicus eſt. — Geſtatio in curru hoc commodum habet; ut tabidi etiamſi valde debilitati aliquid exercitationis per eam tuto & facile tentare poſſint. — Caſus nonnulli memoriae produntur, in quibus corporis oſcillatio in ſede penſili multum profuiſſe dicitur (*a*). — Aliis vero geſtationis generibus navigatio merito anteponitur: multi & nuper & olim hanc laudaverunt exercitationem, & de ea ſtudio ſingulari commentatus eſt GILCHRIST, & exempla praeterea multa memoravit, quae efficaciam hujus remedii clare probant (*b*). Exercitium ſane corpori praebet lene & aequabile, ſimul etiam conſtans, ac ſenſibus fere imperceptum;

(*a*) Vide SMITH *on the Efficacy of Swinging in Conſumptions.*

(*b*) Vide GILCHRIST *on the Uſe of Sea-voyages.*

tum; & aëris forſan maritimi puritas & aequalis temperies, ac nauſea peculiaris, quàm navigatiò in ſalo movere ſolet, ad optimos inducendos effectus conducunt.

§. 59. Notare autem expedit, exercitationem modicam tantum, citra fatigationem praecipi debere: haec non modo animum recreat, cibi appetitum acuit, & concoctioni opitulatur, ſed quod rei noſtrae plus favet, exhalationem per cutem promovet; ſi vehementiore autem utatur aeger, puta equitatione nimia, ſanguis majori, quam decet, impetu in pulmones defertur, hinc calor major, ac reſpirandi difficultas, & hoc certe oleum eſt camino addere.

§. 60. Non verbis opus eſt ut oſtendatur, quantum animi (§. 50.) ſerenitas curis vacui ad corporis valetudinem polleat. Spem ergo atque fiduciam, utcunque inanes, quas fovet aegrotans, quantum medico atque amicis facultas ſit, firmare oportet; moeror atque ſollicitudines omnino fuganda, mens amicitia blanda variisque oblectamentis ſuaviter permulcenda, ac rerum

novitate & diverſitate occupanda; omnia denique, quae laborantis tranquillitatem perturbare poſſint, caute celanda.

§. 61. Quaedam medicamina ſunt hodie multum jactata, quae ad formationem tuberculorum & incrementum praecavenda ſaepe adhibentur; haec ſunt Barytes Muriata, & Conium Maculatum. Quibusdam in caſibus certe egregie utilia fuiſſe videntur; in plurimis vero ſpem medici fefellerunt.

§. 62. Sanguinis detractio in hoc morbo ſaepe minime neceſſarium, certe anceps, & interdum forſan pernicioſum remedium; nam etſi ejus miſſionem inflammationis ſigna deſiderare videntur, alia autem morbi indicia debilitas praeſertim, ac noxae natura ipſa eandem vetant; in hoc remedio utendo magna igitur circumſpectio eſt impendenda. In quibusdam caſibus prae aliis poſtulari videtur, in iis, exempli gratia, ubi tuſſis dura eſt ac moleſta, dyspnaea, & dolor pectoris gravis, praeſertim ſi in homine robuſto, huic vero corporis ſtatui habitus eorum, quos

Phthi-

Phthiſis tentat, omnino plerumque differt; & ſat erit ſaepe his ſignis moleſtis occurrere, cucurbitulas cum ferro in parte, qua dolet, defigendo.

§. 63. Vaſorum igitur depletio univerſa raro, ut mihi videtur, exigitur. Liceat hic mutuari monitum auctoris ingenioſi & medici antea citati, ipſaque ejus verba deſcribere; " Semper memoria tenendum eſt, tantam ſaepe quaſi puncto temporis ab intempeſtiva ſanguinis detractione corpori inferri perniciem, quantam neque optimi medici peritia, neque omnia medicinae ſubſidia poſtea compenſare potuerint. Nam ut ſanguis ſemel miſſus nunquam in venas redit, ſic vires cum illo amiſſae in variis morbis nunquam refici poſſunt" (*c*).

§. 64. Veſicatoria pectoris dolorem optime allevant, & ſanguinis miſſionem ſaepe minus neceſſariam reddunt. Fonticuli & ſetacea multum commendantur, & nullus dubito quin morbo ineunte utilia forent. Obiter autem animadvertendum

(*c*) GREGORY *Conſ. Med Theor.* §. 1584.

dum eſt quod tamenetſi aliquando profuerunt, malo autem jam gravi, tantum moleſtiae, irritationis, ac doloris faceſſere quantum ſuperare commoda ſolent, quae ab eorum uſu expectare ducimur.

§. 65. Frigus ſemper vitandum eſt, & perſpiratio promovenda induſio laneo per cutem geſto; udones lanei etiam pedibus indui debent; remedia revera ſimplicia, quae autem inſigne auxilium protulerunt.

§. 66. Medici putarunt olim vomitoria in hoc morbo valde pernicioſa fore, fauſta autem experientia rem contrariam jam probe demonſtravit (*d*). Vir Cl. Cuprum Vitriolatum feliciter propinavit, nec remedium videtur tam acre aut venenatum, quam ſcriptores nonnulli exiſtimarunt. Si huic vomitorio medicamento tamen objiciatur, ad Ipecacuanham confugere praeſtat, potius quam ad Antimonii praeparata, actio quorum adeo incerta eſt, ut effectus medici conſilio prorſus contrarios ſaepe producat.

§. 67.

(*d*) „ If any Remedy is capable of diſperſing Tubercles, I believe it to be Vomits.“ SIMMONS.

§. 67. Myrrha in quibusdam exemplis opem attuliſſe fertur, praeſertim ſi Ferro Vitriolato fuerit immixta. — Aliud eſt remedium, quibusdam in morbis magnopere laudatum, aër nempe fixus, quem chemici nunc Acidi Carbonici nomine agnoſcunt; cujus vis & efficacia ad putredinem corrigendam variis experimentis jam ſatis comprobata eſt: In hoc morbo, cum in pulmones ope machinae cujusdam recipitur, febrim multum lenire hecticam, ſputum melius concoctum naribusque minus ingratum reddere obſervatur. Clinici attentionem igitur jure aequiſſimo mereri videtur.

§. 68. De Corticis Peruviani in Phthiſi uſu multum inter auctores disputatum eſt. Sunt quibus liquet, hocce remedium Phthiſi pulmonali nequaquam accommodari; alii vero, iique auctores nomine praeclari ac artis peritiſſimi virtutes ejus plurimum commendatas habent. En verba medici experti MORTON, " Corticis Peruviani, frequenter & debitis intervallis repetiti, efficaciam ad ſupprimendos paroxysmos, febriles ſaltem pro tempore, ſaepiſſime cum ſucceſſu felici

expertus ſum; adeo ut aliquorum Phthiſicorum jam pro deploratis habitorum vitam frequenti ejus uſu non tantum per plures menſes, verum etiam annos protractam eſſe viderim: qui, licet e ſtatu valetudinario nunquam plane evaſerint, tamen ejus uſu a febri jam liberati, muniis ſolitis ſatis bene fungi potuere" (*e*).

§. 69. Corticis exhibitionem medici prohibuerunt, quia reſpirationem afficere & ſigna inflammationis graviora reddere, eundem putarunt. Mihi autem videtur, quod in hoc, perinde atque in aliis ſaepe accidit exemplis, unius erroris fuga in vitium contrarium duxit. In Phthiſi pulmonali ſumma occurrit corporis debilitas, quae remedia hujusmodi plane poſtulat; ac licet haud negandum ſit, ſigna inflammationis interdum adeſſe, haec tamen raro graviora ſunt, ſaepe equidem levia, & in ultimo morbi ſtadio nulla. Si praeterea diligenter conſideramus corporis habitum imbecillum eorum, quos Phthiſis affligit, ſi concedamus

(*e*) MORTON *Phthiſiol. lib. 2. Cap.* 10.

mus etiam Scrofulae convenientiam, jure dubitari poteſt, an inflammatio talis ſit naturae, qualis remedia tonica prohibeat (*f*).

§. 70. At quid impedit, cum inflammatio aberit, Corticem propinare? Nonne oriri poteſt ſaepe reſpiratio difficilior (§. 69.) a remedio in ſubſtantia aſſumpto utpote forma quam imbecillior ſtomachus aegre fert? Decocto vel infuſo adhibito, ut ſcribit illuſtris PRINGLE (*g*), nec vexat reſpirationis difficultas nec calor auctus, virium contra augmentum notabile percipitur.

§. 71. Uſum hujus medicamenti, tanquam aliorum tonicorum, aeque ac diaetae plenioris ut commendem adducor, ex felici experientia nonnullorum medicinam exercentium; nec profecto temere remedia ſpernenda ſunt, quae, licet morbum non vincant, aegri tamen vitam tolerabiliorem reddant: ſed etiam meliora proſpicio: ſpero medicos a veſtigiis ſemitae diu tritae, in quibus paucos adhuc felices progreſſus ſe-

(*f*) *Vide An Eſſay on Pulmonary Conſumptions by* Dr. MAY.
(*g*) *Diſeaſes of the Army*, *p.* 167.

fecerunt, nonnihil jam deflectentes viam meliorem ingreſſuros eſſe & artem medicam hoſti huic generis humani inimiciſſimo tandem parem fore.

§. 72. Noviſſime de ſignis, quae levanda ſunt, dicam. Eſt hoc enim medici officium, hoc maxime humanitatis, ut morbum mitiorem ſaltem reddat, ſi aegrotanti non poſſit integram ſanitatem reſtituere. Quoniam igitur de aegro jam fere deſperatur, & parvam vitae partem tantum ſupereſſe judicet, breve illud reliquum ſpatium quam maxime jucundum efficere eum oportet. Indicia, quae attentionem maxime requirunt, ea ſunt, tuſſis, ephidroſis, & diarrhoea.

§. 73. Circa morbi finem tuſſis adeo aſſidue vexat, ut ne oculis quidem ſomnum videre poſſit aeger. Auctores de Opii uſu tantopere inter ſe differre certe doleamus oportet, eoque magis, quod nullum remedium ad tuſſis compeſcendam violentiam plus auxilii confert. Deterrentur medici, ne Opium ſputa ſupprimat, hanc opinionem autem refellit obſervatio quotidiana, ſatis enim

no-

notum eſt expectorationem ſemper faciliorem reddi poſt ſomnum quietum (*h*).

§. 74. Medicamenta oleoſa ac mucoſa tuſſim aliquando ſedant; haec autem magna quantitate aſſumpta ſtomachum male afficiunt, parce igitur delingenda ſunt, & parca quantitate ſane effectus ſuos ſatis bene praeſtant, quoniam agere & operari videntur, fauces & glottidem illiniendo & ſic easdem ab irritatione quavis defendendo.

§. 74. Olim obſervatum fuit, ſudores hecticos alvi colliquatione temperari, hac obſtructa, illos iterata violentia recurrere. At uno vel altero ſigno perſtante, oppido debilitatur aegrotus, morsque acceleratur; vis igitur cujusvis compeſcatur ſaltem, plane neceſſe eſt.

§. 76. Ad ſudores cohibendos (§. 72.) remedia varia refrigerantia multum conducunt, acidum praeſer-

(*h*) Animum vix inducere poſſum, ut malis effectibus fidem habeam, quos medici nonnulli opium faceſſere opinati ſunt: " I have ſeen (ait Vir ingenioſus) the Tinctura Opii given in doſes of from forty to ſeventy drops three times a day with wonderful good effect ". MAY's *Eſſay on pulmonary Conſumptions.*

ſertim vitriolicum, aqua dilutum vel cum infuſo Roſae mixtum & ſtatis temporibus, prout res poſtulaverit, datum aegroto, multum celebratur. Calor etiam, notatu dignum, cubiculi eſt vitandus, atque onus ſtragulorum lecto ſuperinjectorum.

§. 77. Non in tuſſi ſedanda tantum ad opium confugiendum, ventris etiam fluxui (§. 72.) magno eſt remedio; ad quem ſiſtendum, vel purum exiguis portionibus voretur, ſeu cum Catechu aſſociatum, vel cum Gummi Kino, & aliis id genus in regno vegetabili reperiendis, quae aſtringenti facultate pollent.

§. 78. Fructus recentes ſubacidi in diarrhoea hectica, utpote quae non ab acore ſed a putredine oritur, antiſeptica virtute utiles fiunt.

T A N T U M.